

años exegistis: a quibus capta belli premia Sici-
liam: ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certami-
ne is uobis illisque auius: qui uictoribus et uictis esse
solet: Nec nunc illi: quia audent: sed quia necesse
est pugnaturi sunt: nisi creditis: qui exercitu inco-
lumi pugnam detrectauerunt eos duabus partibus
peditum equitumque in transitu alpium amissis: qui plu-
res poene perierunt: quam supersint plus spei nac-
tos esse. At enim pauci quidem sunt: sed ingen-
tes animis corporibusque: quorum robora: ac uires
sustinere uis ulla uix possit. effigies imo umbrae
hominum: fame: frigore: illuuium: squalore eneati: con-
tusi ac debilitati inter saxa rupesque: Adhuc perusti
artus nunc rigentes nerui: membra torrida
gelu: quassata fractaque arma: claudi ac debiles
equi: cum hoc equite: cum hoc pedite pugnaturi estis:
reliquias extremas hostium non hostes habetis.
Ac nihil magis uereor: ne ante quam uos cum hoste pu-
gnaueritis: hambale alpes uicisse uideantur: sed ita
forsitan decuit cum federum ruptor duce ac populo
deos ipsos sine ulla humana ope committere: ac
profligare bellum: nos autem: qui secundum deos ui-
olati sumus: commissum ac profligatum conficere.
Non uereor: ne quis me hoc uestri adhortandi
causa magnifice loqui existimet: ipsius aliter